Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

Visual Library

ferendi Moguntiæ reſervatam dicens, ſtatutum illud antiquavit, mulctâ mille marcarum argenti puri adjectâ, quod Electoris jura Senatus invaſerat. * Secuta pax clauſtrum † Canoniſſarum S. Auguſtini (a) ex cineribus, in quibus à nupero incendio jacuerat, erexit, deditque ex re nomen novi operis, ſicut & illa continens nova civitas appellata eſt. * Civitas à milite nobili Hermanno de Huſingeroda (b) comitatum † Viſelbach unâ cum curia prope S. Bartholomæum, ejuſdemque templi jure patronatus, quingentis quinquaginta marcis argenti puri emit. Curiam ipſam & annexum jus ſub certis legibus retrovendidit. Henricus Comes de Gleichen, Alberti Gleichenſteinenſis filius, directus iſtius Comitatus Dominus, his omnibus aſſenſit.

* MCCLXXV.

Monaſterii novi operis reparatur.

* MCCLXXVI.

Erford à emit comitatum Viſelbacenſem.

XXV.

* MCCLXXVII.

Inſurgit adverſus viduã matrem.

* Eſt hic Erfordiæ genius, quod res adverſas temperantius, quam ſecundas ferat. Igitur cùm viciniam terruiſſet, reddita ferocior adverſus Matrem † inſurgit, obſequia detrectans. Licentiam à motibus civilibus apprehenderat, inter æmulorum contentiones ferè per triennium vacante ſede. Moguntia benevolis adhortationibus urbem monet, vocatque ad

(a) MS. Chron. Erfurtenſis. MS. Chron. Biblioth. Cæſ. hoc anno initiatum putat.

(b) Extant documenta, copias vide in Scripto Erfurtenſium adverſus Saxonicorum informationem Monaſterii in tractatibus pacis exhibito lit. O. & P.

ad obſequium S.Matris : recordaretur ꝭ quam amplitudinem ſub S. Sedis imperi creverit certò minuendam, ſi refractari fiat. Omnem viciniam felicitati ejus invidere, cumque invidiæ comes ſit odium & nocendi cupido, quomodo niſi Moguntiæ viribus tuta eſſe velit? ceſſiſſe jam dominio Landgravii Thuringiam, ſolâ pene urbe Moguntinam libertatem retinente: num ancillari velit, cum filia manere poſſit? Nihil hiſce mota Urbs, quam nimiæ felicitatis caligo invaſerat, quæque non amat, niſi quem timet. Vicinos Urbis vires expertos nihil amplius auſuros credidit. Moguntiæ ipsâ loginquitate belli ſufficere debere, ſi precarium Imperium habeat: Cætera filiam ſuæ voluntati relinquendam. Auxerunt animos rebellium Moguntina Schiſmata (a) quæ temporis hujus infelicitas varia protruſit. Ipſe Henricus † Urbem accedit: hæc, ne Domini præſentia moroſitatem corrigeret, propoſitam defectionem obſequiis & jurejurando tegit, Henricum demiſsè recipit, qui viciſſim privilegiis Civium per literas cavet, (b) quas fratris Henrici (fuerat antea religionis Minorum S.Franciſci) hodie àppellant. Idem Judicium conſervandæ paci in Thuringia erexit, ei Vicarium ſeu Capitaneum præfecit, cui duodecim ex pro-

Henricus noviter electus Erfordiam ingreditur.

(a) *Vide* Serarium.

(b) *Extat tale documentum, cujus tamen auctoritas in dubio eſt.*

✠ S · PACIS THVRING
ARCHIEPI · MAGT · SEV · VICARII · IPI · CAPITANEI · PACIS · Z · XII · CONSERVATOR EIVS ·

p. 67.

provinciæ proceribus Aſſeſſores junxit, qui poteſtas ſimul & conſilium eſſent. Sigillum quo juſſa munita, ſat grande, poſt aliquot ſæcula redimendum (*a*) Archivum Moguntinum aſſervat, inde acceptum in imagine exhibeo: Cæſarem in ſede locat iſthinc formidabilem gladio, hinc ſceptro ornatum. Rota Moguntina dextram, ſiniſtram Thuringiæ Leo tenet. Epigraphe ſolitis iſtius ævi contractionibus hæc refert: *Sigillum pacis Thuringiæ Fratris Henrici ArchiEpiſcopi Moguntini, ſeu Vicarii ipſius Capitanei pacis, & duodecim conſervatorum ejus.* Aſt ferociores jam Erſurtenſes quam ut privilegiis deliniri, vel contineri imperio vellent, nam vix Henricus diſceſſerat, iterum exhauſtam ſedem deſpicere, libertatem & licentiam confundere, illam ſectari, in hanc incidere: † Hinc in Urbe tumultus: Plebs in Magiſtratum inſurgit, & tantum quiſque imperitat, quantum audet. Nec intrà mœnia ſe continet perverſitas, ſed nequiores erumpunt, & per Thuringiam prædas agunt. Spectare malum nonnihil debuit Moguntia, cui mederi ex tempore non poterat, licet autem civilibus diſpenſionibus exhauſta, Cæſaris tamen Rudolphi favore potens erat,

Tumultus Erfordiæ.

 quippe

(a) Vbi & qua occaſione fuerit inventum vid. infr. ad Annum 1463. de reliquo hic ille Henricus eſt qui militibus quam clero addictior, à quo non illepidū illud Epitaphium accepit: Nudipes Antiſtes non curat Clerus ubi ſtes, ſi non in Cœlis, ſtes ubicunque velis.

quippe hunc feliciſſimâ omnium electione per Wernerum (a) ad Imperium promovit, ut ſuam felicitatem ſereniſſima Domus Auſtriaca, & Romanum Imperium ſereniſſimam Domum Moguntiæ debeant. Igitur cum potentior eſſet Erfordia, quam ut levibus armis ad officium redigi poſſet, temerarios auſus ad Rudolphum defert, † Gerhardus, (is noviter Elector denunciatus) immorigeros caſtigari, ſuæque reſtitui obedientiæ rogat. Cæſar S. Sedis precibus defert, ac Erfurtum armatus* accedit. (b) Sola majeſtas Urbem terruit. † Rudolphus apertis portis cum omni demiſſione recipitur. Non mitigavit iram ſera pœnitentia, ſed Cæſar pro tribunali ſedens in turbarum † auctores inquiſivit, legitimè convicti capitali pœnæ extrà portam Krempherianam ſubjecti, octo primæ dignitatis Senatores publicè in foro propè curiam decapitati, trunci ibidem ſepulti, capita è curia ferreis clavis affixa, ſepulchra muro ſepta: in medio pyramis exſurgit, in quâ vindictæ hujus ſtatua cum Clypeo, & vexillo rotam in armis referens omnem poſteritatem terret. Murus (c) ille in nupero tumultu ſolo æquatus, cum prius atroci Quatuorviri cæde Rudolphi exemplum rebelles eſſent imitati. Pyramis cum ſtatuâ recentior vide-

Quibus compeſcendis Moguntinus Cæſarē invocat.

*MCCLXXXIX.

Rudolphus I. Erfurtum venit.

De turbarū auctoribus ſupplicia ſumit.

(a) Serarius *in Wernero.*
(b) *MS. Petrenſia Chronica.*
(c) *Vid. infrà ad annum MDCLXIII.*

videtur, & ſecutis annis adſcribenda. Rudolphus tabulam erexerat, in qua nocentum crimina legebantur. Clavi autem hodiedum viſuntur, gladius etiam, quo rebellium reſectæ cervices in curia oſtenditur. His peractis Cæſar Urbem Gerhardo conciliat, hic Legatos mittit cum ampliſſima poteſtate: Obedientiæ † leges in ſcriptis concipiuntur, quas hodiedum ſub nomine Concordatorum Gerhardi habemus. Civitas mulctam octingentarum marcarum argenti pependit. Elector conciliatam ſibi Urbem accedit, cum magnâ feſtivitate & occurſu publico in vigiliâ S. Thomæ recipitur, ad pacem, & obedientiam ſuperioribus præſtandam cives hortatur, acceptiſque de hoc promiſſis denuò cum ſuis Rhenum repetit. * Captus amœnitate loci Rudolphus, (a) accedentibus etiam viciniæ neceſſitatibus anno ſequenti † redit. Prona ad pompam Civitas ingenti apparatu Cæſarem excipit. Ipſe in monaſterio S. Petri, aulici à civibus hoſpitati. Varii tum Principes Rudolphum conveniunt, quos inter Albertus Landgravius, qui largam narrationis ſeriem infrà dabit. Sedecim equites Cæſar creat, (b) præterea filiam ſuam Reginam Bohemiæ, & Sororem Saxoniæ Ducem, quæ viſitandi Cæſaris gratiâ venerant, magno apparatu excipit, ac conſangui-

Concordata Gerhardi.

* MCCXC

Rudolphus ſecundò Erfordiam accedit.

(a) *MS. Erfurt. Chron.*
(b) *MS. Chronica Petrenſia.*

Suæ conſanguineæ in monaſterio S. Petri nuptias inſtruit.

neam † Duci Clivenſi deſponſat. Epulum nuptiale in Petrenſi cœnaculo majore, quod magnum illud eſt ad ambitum, celebratur. Rudolphus Salisburgenſium ArchiEpiſcopus, qui Cæſari aderat, nuptam benedixit. Idem, ſolennitatibus peractis, monaſterium ſacris conciliavit, ſi fortè per tedas jugales, & utriuſque ſexûs multitudinem profanatum fuiſſet. Interim ab iſtâ lue prædonum, † quæ tempore diuturni interregni Germaniam infecerat, nondum plenè purgata erat Thuringia, ſed ex arcibus firmioribus circumjacentes agri paſſim infeſtabantur. Juncti ergo Cæſareanis Erfurtenſes (*a*) hinc inde ſexaginta prædonum receptacula deſtruunt, ipſis prædonibus quotquot ceperant, decapitatis. In unicâ arce Ilmenaw vigintinovem deprehenſi, ductique Erfordiam, ubi gladii pœnâ affecti. Priuſquam diſcederet Rudolphus, iterum ad concordiam cives hortatus eſt, & ne per ſeditionem aut tumultum quid periculi accideret, præcipuas † plateas catenis claudi ſuaſit; utili ad dividendas turbas conſilio.

Erfurtenſes Cæſareanis juncti prædones eliminant.

Plateæ ex Conſilio Rudolphi catenis firmantur.

XXVI. *MCCXCI.

* Sic ergo conciliatâ Moguntiæ Erfordiâ, priſtinâ fide pro communi fortunâ laboratum: cumque Moguntiæ ærarium variis difficultatibus exhauſtum eſſet, Gerhardus † jus monetæ (*b*) Urbi ad annos undecim pro mille marcis argenti elocavit.

Gerhardus jus monetādi urbi oppignorat.

(*a*) *MS. Chronica Erfurtenſia.*
(*b*) *Extant deſuper documenta.*